



e
32





EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI;
DN. DAN. LVDOLPHI;
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

I. N. J.
DISPUTATIO MEDICO-PRACTICA,
DE
ANATHREPSI,

Seu
RENUTRITIONE EORUM,
QUI OB DIUTURNAM FAMEM ET
INEDIAM, IN TERRÆ STERILITATIBUS, BELLIS,
OBSIDIONIBUS, PEREGRINATIONIBUS &c.
EMACIATI SUNT.

Quam,
DUCE ET AUSPICE DEO
TER. OPT. MAX.

CONSENSU
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI,
EX DECRETO

VENERANDÆ FACULTATIS MEDICÆ,
PRO GRADU LICENTIÆ
In Medicinâ ritè obtinendo,

In Academiâ Patriâ,
Publica Eruditorum ventilationi subjicit

JOHANNES GOTTSCHED,

Med. Cand. & quorund. Pruss. District. Pract.

Ad d. IV. Februarii, XCIV.

IN AUDITORIO MAJORI,
Horis Ante- & Pomeridianis.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

DEO,
PATRIÆ,
ET
ACADEMIÆ.

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZVHALLE



Acies, græcè *Ἀτροφία*, ab *a* privativo & *τροφία* nutritione, quasi Non-Nutritio; Defectum nutritionis denotat, quando ex nutrimento fructus non percipitur h. e. quando corpus non alitur, sed, semper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum locum subeuntibus, consumitur. *vid.* Celsus *lib. 3. cap. 22.* Duplex est, alia *Universalis*, seu totius corporis: alia *Particularis*, in determinatis tantum partibus, artubus præsertim. Et tunc proprio nomine *Aridura* dicitur. Illa tres sub se species seu gradus complectitur, *Maciem*, in specie sic dictam, quando sola pinguedo consumitur: *Tabem* seu *Contabescenciam*, ubi caro simul minuitur nec restituitur. *Sylv. Prax. Medic. lib. 1. cap. 37. §. 6.* Et ex eo *Ettmüllerus in Praxi.* Et tandem *Marasimum*, quando corporis partes ita macrescunt, ut totus homo nihil esse videatur, nisi ossa & cutis. *Vid. Lexic. Brunon. p. m. 575. sub titulo Marasimus. Confer. Sylv. cit. loc. §. 17.* Ut autem eò clariùs Atrophix natura elucescat, operæ pretium videtur, pauca quædam de Nutritione, quomodo eadem fiat, præmittere. Omnis enim scientia est Contrariorum, & rectum regula curvi.

§. II. Dicimus autem, vitam, ut flammam, eo ipso momento, quo accenditur, nutrimento egere & pabulo. Nutritionemq; nihil aliud, quam renovatam & continuatam generationem, generationem verò exordium Nutritionis esse: sicuti rerum conservationem, continuatam Creationem dicimus. Differt tamen aliquomodo nutritio fœtus in utero, & extra uterum. Nos de eâ, quæ fit post partum, & extra uterum, hic saltem sumus solliciti. Et cum certum sit vitam

consistere in continuo motu Sangvinis & humorum, omni
verò momento aliquid de hoc humido pereat, per tot corpo-
ris excretoria, sudorem & insensilem transpirationem præ-
cipuè. *Vid. Sanctor. Medic. Static. Sect. 1. Aphor. præsertim 59.*
60. &c.; necesse est, ut dispendium hoc resarciatur nutrimento.
Defectus autem talis indicatur ab Appetitu, qui, si solidorum
est, dicitur *Fames*, si liquidorum & potulentorum, *Sitis*. *Famem*
mouet Lympha ventriculi digestrix, à sanguine arterioso, medi-
ante ventriculi tunicâ glandulosâ, secreta: quæ ubi nihil in-
venit, in quod agat, ob naturam salinam & acrem, nervosas
ventriculi fibrillas vellicat, qui motus ad cerebrum & Phan-
tasiâ continuatus, solidorum infert desiderium. *Sitis verò*
excitatur ob defectum humiditatis, unde Salia ariditate faucium quasi
coagulata aculeis suis membranas pharyngis & œsophagi pun-
gunt, & desiderium potûs excitant, tamque diu continuant,
donec hausto potu iterum resolvantur & abluantur. Igitur
cibum capturi, ori eum indimus, qui, si solidior sit, dentibus
anterioribus incisus, molaribus masticatur & comminuitur,
affluente simul ex ductibus salivalibus, omnibusque glandulis
oris & lingvæ salivâ, *particulis aqueo salino-spirituosis* constante:
cum quâ permixtus & benè subactus, beneficio lingvæ ad pha-
ryngem devolvitur; ubi porrò partim ob propriam gravita-
tem, partim gulæ & œsophagi motum peristalticum ad ventri-
culum delabitur. Quo factò, contriventibus ambobus orificiis,
præsertim sinistro, ventriculus sese strictius contrahit, & instar
plicatæ crumenæ globulum continentis, cibos ingestos arctius
complectens, plus lymphæ digestricis motu suo emulget. Quæ
ipsa cibos digerit, non, ut aliqui putant, fermentando eosdem,
nec corrodendo, nisi subinde per accidens; sed comminuendo
& extrahendo partes glutinosas & nutritioni aptas: eodem
modo, quo solius pistilli triturâ, cum affusâ aquâ, ex amygda-
lis & seminibus, omnique carniûm coctarum genere albissima
gela-

gelatina paratur. Ad quod opus concurrunt motus ventriculi tum proprius, cum qui ipsi à motu diaphragmatis & musculorum abdominis, in respirationis actu continuo, nec non ab aortæ descendens pulsu communicatur. Non excluso ipsorummet alimentorum calidè assumptorum, ut & partium adjacentium, hepatis præsertim, actuali calore. Potu quoque ad concoctionem symbolum suum conferente, dum salia lymphæ digestivæ melius resolvit & diffundit, cibosque attenuat & porosiores reddit. Quâ concoctione nunc citius, nunc tardius, ratione ingestorum crudioris aut tenerioris texturæ, plurimam partem peractâ, motu ventriculi à sinistro versus dextrum orificium, per Pylorum in intestinum duodenum, cibus concoctus & chymi seu chyli nomine veniens, sensim exprimitur. Ubi admixtione bilis, succi pancreatici & liquoris intestinalis factâ, magis attenuatur & fluidior redditur; Confususque sibi invicem cohæret, dum motu intestinorum peristaltico & abdominis musculis compressus, in hiantia venarum lactearum oscula impingitur; multum conferentibus valvulis & plicis intestinorum tenuium, jejuni præsertim, quibus diutius subsistere cogitur, ut eò melius & exactius in venas lacteas impingi possit (fecibus propter majorem & ineptam figuram portâ hâc exclusis, & motu peristaltico versus crassa intestina deturbatis). In quibus, venis lacteis puto, dum guttula guttulam, insequens præcedentem trudit; protrusa verò propter valvulas regurgitare non potest, sensim propellitur, èque plurimis minoribus ramulis, postquam præter reliquas mesenterii glandulas, magnam illam in centro mesenterii sitam & Pancreas Asellii dictam, pertransiit, lymphâque confluyente ditior & dilutior redditus, in truncum tandem & commune tum seri tum chyli receptaculum colligitur. Ex quo rursus sero magis dilutus, motu præsertim diaphragmatis & pulsatione aortæ, arteriarumque intercostalium, per ductum

thoracicum, ejusque valvulas, tanquam totidem scalas in altum evehitur: donec in venam subclaviam ut plurimum sinistram, nunc uno nunc pluribus ostiis sese exoneret, sanguinique misceatur.

§. III. Sanguini commixtus chylus, & tam auræ vitalis in pulmonibus, quàm caloris & Spirituum vitalium com meatu in corde auctus, & motu intestino pariter ac progressivo sanguinis simul conquassatus & modificatus, *Serum* appellatur, *Barbato* Sanguis albus, in *dissert. de Sanguine & ejus sero*. Non differens à glutinosâ & gelatinosâ sanguinis substantiâ, cui globuli rubicundi innatant, sed eandem ipsam constituens, *Proxima nobis nutritionis materia existit*. Nam, cum juxta commune effatum, iisdem nutriamur, ex quibus constamus; Cui Aristoteles quoque subscribit *4. de generat. anim. 8.* in-
quiens: eadem est materia, qua alit, & ex qua natura genera-
tionem constituit. Omnes autem partes sint spermaticæ, seu ex spermate generatæ. *vid. Johann. Claud. de la Courvèe, Ar-*
ebiatr. Reg. Polon. Paradox. de Nutritione fœtus in utero Part. 2.
cap. 4. 5. & seqq. Confer. Brun. Dogm. Medic. Gener. p. m. 32. 33.
Francisc. Bayle Dissertat. Medicar. Dissert. III. De usu lactis ad
tabidos reficiendos, & immediato corporis alimento. Sperma
verò nihil aliud, quàm serum sanguinis in testibus, epididymi-
dibus &c. diversimodè concoctum, inspissatum & spirituosius
redditum existat: Sequitur, omnes partes eodem modo &
eâdem materiâ nutriri, ex quâ primò fuerant generatæ, nempe
ex Sero. Ubi notandum, *Nutritionem* aliam dici *Veram, cum*
augmentatione & extensione, quæ contingit usque ad puberta-
tem, quamdiu scilicet homo crescit in longum, seu, ut alii
loqui amant, quamdiu ossa crescunt in longum. Quæ nutri-
tio veteribus fieri dicitur per *assimilationem*: quando scilicet
omnibus partium staminibus & fibris homogenea materia,
Cambium aliàs Avicennæ dicta, *apponitur & agglutinatur*. Quæ
nutri-

nutritionis species à generatione nihil differt. Altera *nutritio-
nis notæ* dictæ species est: Quando jam post annum utplu-
rimum 26, nach den *Wachs* Jahren/ nihil quidem assimilatur
partibus, sed poris fibrarum saltem *roridum* quoddam inter-
spergitur *gluten*, quod humectando, distendendo & infarci-
endo fibras partium organicarum, earum magnitudini &
robori conservando, actionibusq; perficiendis inservit. *Utri-
usq;* *hujus Nutritionis materiam proximam Serum sanguinis esse*
statuimus. Et quidem nutritionem illam non peragi *facultate*
nutriente singulis partibus propriâ & connatâ, neque singulari
partium quarumlibet fermento, sed debitâ pororum aptitudine
& conformatione. Adeoque tum generationem primorum
staminum corporis, cum assimilationem sic dicti cambii in
augmentatione & extensione membrorum, usque ad magni-
tudinem sui generis debitam fieri, quando particulae ejusdem
figuræ invicem copulantur & agglutinantur. Post pubertatis
annos verò, quando sola fibrarum mollium ampliatio in latum
& profundum, duriorum verò repletio fit, ab incuneatione &
adhæsiōne particularum seri magis glutinosarum & congrua-
rum; minùs glutinosis & flexibilioribus, mollioribus, ichorosis
& poros intrare ineptis, iterum cum sanguine per venas, &
vasa lymphatica amandatis. Ad quam nutritionem multum
conferre Spiritus Animales concedimus, quia in Paralyti, ne-
gato Spirituum animalium influxu membra exarescunt; Non
tamen, quasi nervi succum omnem nutritium advehant, uti
Varthonus, Glissonius & Charleton contendunt. Nutrimen-
tum superfluum cedit in Pinguedinem, pilos, ungues &c. Post
annos pubertatis verò præsertim in menstrua, Lac, semen &c.
Ast cum & *sanguis in specie sic dictus, h. e. rubra & sero con-
radistincta pars* in Hæmorrhagiis, mensuris imminuatur:
statuendum quoq; quandam seri partem in sanguinem rubrum
excoqui, quæ operatio *sanguificatio* dicitur, de quâ fusiùs disse-
rere

rere non hujus loci est. Sicuti etiam à subtilissimâ & spirituosâ seri portione in cerebro Spiritus Animales secernuntur & nutriuntur, quod vel ex ipso cerebri colore patet.

§. IV. Quamdiu jam serum hoc tum in quantitate cum qualitate & motu benè se habet: Corpus hominis nutritur. Quamprimùm verò aut deficit; aut acrius & dilutius redditur, vel non diu satis in partibus nutriendis moratur; nutritio cessat & homo emaciatur. Ubi notandum in genere, *partes similes*, seu, quod idem est, *fibras*, qualescunque sint totius corporis, *in Atrophia & Tabe nunquam consumi*, sed tantummodo gluten illud, quod fibris hisce affixum hæret, earumque poros & interstitia replet, cum pingvedine. Quo respicit Galenus *Commentar. in lib. Hippocr. de articulis lib. 1. num. 30. p. m. 513. lit. B.* inquit: *colligescit autem in ipsis carnibus adeps omnis, & quicquid molle ac recenter coactum est.* Quod ipsum gluten aliàs *Tomentum* dicitur, musculum à carne, juxta Veteres quosdam distingvens. Quando itaque apud Autores caro consumi dicitur, uti superius §. I. ex Sylvio facta est mentio, vox carnis improprie sumitur, ut per eam pars quædam à musculo diversa, hoc est nutrimentum musculi & gluten intelligatur. Cum caro in propriâ & genuinâ significatione sumpta à musculo non differat. Quod ipse quoque Galenus *lib. 10. Meth. Med. c. 6. p. m. 133. lit. D.* confirmat his verbis: *Vocatur autem Caro tantum ea, qua in musculo est, reliquarum nullam homines carnem vocant, præterquam admodum pauci. Sed qua in visceribus, ceu jecinore, renibus, liene & pulmone visuntur, parenchymata (quasi affusiones dixeris græcè) vocant.*

§. V. Ex dictis itaque patet, serum peccans tripliciter Atrophiam inducere. Nos tamen cæteris Atrophiæ speciebus omissis, de eâ saltem in præsens erimus solliciti, *qua ob serum in quantitate deficiens primariò oritur, & corporibus aliàs athleticè etiam sanis ob inedia & famem accidit*, uti ipse
Dispu-

Disputationis titulus satis indigitat. Et quamvis aliqui inter Inediam & famem differentiam adhuc quandam constituent. Quasi inedia etiam sine ciborum appetitu sit, sicut in ægrotis; fames verò semper cum cupiditate edendi, si tantum ciborum copia adsit. Interim tamen Classicis Autoribus fames & inedia synonyma sunt. Ut, quando Cicero *de finibus dicit: Regulus necatus est inedia*, per inediam intelligit famem. Cum quo confer. *Plin. lib. XI. cap. 53.* Utrumque vocabulum à Germanis dicitur: *Der Hunger / von Hunger sterben / ausgehungert werden.* Unde nobis quoq; licitum erit, unum pro altero usurpare.

§. VI. Est ergo *Atrophia*, de quâ hic agimus, *causa immediata & proxima, defectus feri nutritii & chyli.* Qui defectus à causis Procatarcticis rerum non-naturalium adjuvatur, præsertim tamen & primariò à *Penuriâ Cibi & Potûs* dependet. Quadrupliciter autem peccat victus, *Primò* quando sufficit quidem, inusitatus tamen est & ineptus ad nutritionem. *Secundò*, quando non sufficit, usitatus tamen est, & nutritioni aptus. *Tertiò*, quando nec sufficit, nec usitatus est, nec ad nutritionem aptus. *Quartò* denique, quando planè deficit & in totum nullus adest. Unde tot etiam Famis gradus statuere licebit. Atque hæc quidem ex causis procatarcticis primaria est, cæteræ secundariæ tantum sunt, nihilominus multum ad Atrophiam contribuentes. v. g. II. Aer *acris*, austerus, nebulosus; qui in inspiratione in Pulmones & sanguinem delatus, ob salium spicula acuta & scindentia, gluten partium depascitur, & ad ventriculum delatus famem intendit. Quo referuntur *fumi acres, corrosivi, & exhalationes mineralium, præsertim Antimoniales & Arsenicales, nec non Aer marinus.* Unde fit, ut Maris accolæ ferè omnes sanguinem acrem corrosivum & scorbuticum habeant: &, quod in mari plus nutrimenti corpus deposcat, quam in continente. Quin

B

Cal-

*Calidus quoque aër, dum exsiccat corpus, tum calorem internum augendo, tum sudores nimios eliciendo, ad Atrophiam inducendam multum contribuere potest. III. Vigiliis nimias extenuare corpus, notissimum est; Unde etiam animalia quaedam, ut glires, ursi, serpentes &c. eò quòd hyeme plurimum temporis somno impendere statuuntur, pingvescunt. Unde illud Martialis de Glire: *Pingvior illo tempore sum, quo me nil, nisi somnus, alit.* IV. *Motus nimius & violentus multum confert ad maciem inducendam, cum per ipsum non solum Spiritus, in musculis continuo actuandis & agitandis enerventur & consumantur; sed, ob auctam circulationem & fermentationem sanguinis, sero nutritio tempus non sufficiat, ut fibrillis carneis agglutinari possit. Taceo, quòd iam agglutinatae partes simul abripiantur, & tum per sudorem, cum insensilem transpirationem in auras abeant. Unde labores nimii extenuant corpus. Ad quod Hippocrates respicit, quando *Aphor. 16. Sect. 2.* inquit: *Ubi fames, non oportet laborare.* V. *Excreta quantitate & numero peccantia Atrophiam inducere, sole meridiano clarius est. Sic Hectici ob nimium sudorem emaciantur. Alii ob Veneris abusum & seminis nimiam excretionem. Quaedam ob menstrua nimia. Quae ipsa macies similiter nimias haemorrhagias, ut in haemoptysi, haemorrhoidibus, dysenteriâ; nec non diarrhaeam & vomitum nimium comitatur.* VI. *Ex Animi affectibus peccant omnes & Atrophiae velificantur, qui apti nati sunt sanguinem aut incendere nimis, ut Ira, furor; aut putrefacere, ut Mœstitia angor, curae &c. Conferatur de causis Procatarteticis Atrophiae Avicenna Lib. 4. Fen. 7. Tractat. 4. cap. 1. ubi multa egregia reperiuntur. Ad quam procatarteticarum classem referimus quoque morbos quosdam, titulo rerum Praternaturalium medicis venientes, ut sunt. Scorbutus, Empyema, Phebi.***

Phthisis, Obstructiones mesenterii, Lumbrici, Crinones & Dra-
cunculi &c.

§. VII. Neque hic omittenda puto illa, quæ rerum *secun-*
dum naturam nomine veniunt, & non parum ad Atrophiam
citiùs aut tardiùs, ob famem, corporibus inducendam, certo
modo contribuere valent. Inter quas res sunt: *Consuetudo,*
constitutio corporis, atas, sexus, regiones, anni tempora &c.
Sic, dum inter Judæos & Tartaros vivere licuit, Judæos quos-
dam senes, qui, se ad quintum diem aliquando, sine omni
potu & cibo (voto sic ad Deum facto), nullo cum incommodo,
vitam traxisse, fassi sunt, cognovi. Et hoc propterea, quia à
Pueritiâ jejuniis fuerant assueti: quod adhucdum à quibusdam
Judæis observari compertum habeo, qui liberos suos indies
durioribus inediis ferendis aptos reddunt consuetudine. Tar-
tari quoq; per loca deserta & ingentes sylvas aurigantes, famem
per aliquot dies impunè ferunt, quod ipsum & equi ipsorum
facere edocti. Pariter quorum constitutio est sanguinea,
plethorica, & qui habitu gaudent atletico, difficiliùs inediã
tolerant, quàm phlegmatici, & qui sunt tenuioris habitûs.
Sani & succipleni præ ægrotis; Vigilantes præ dormientibus;
Pueri & Adolescentes præ senibus; *juxta Hippocrat. Aphor. 13.*
sect. 1. senes facillimè jejunium ferunt: deinde etate consistentes,
minimè adolescentes, omnium minimè verò pueri, & inter hos
iplos, qui ipsi seipsis alacriores fuerint. Viri præ foeminis
(ut plurimum), ob calidiorem naturam. Qui temperatam &
frigidam Zonam incolunt, præ iis, qui torridam. Quin vere
& hyeme difficiliùs perfertur fames, quàm æstate & autumnò.
Ventres enim hyeme & vere naturâ calidissimi sunt. Quapro-
pter in his temporibus alimenta plura exhibenda sunt, ut scribit
Hippocrates sect. 1. Aphor. 15, 18.

§. VIII. Dum verò quorundam passim mentionem
injiciunt Historiæ, qui aliquot annorum fame perpessâ tamen

vixerint; *præter naturam* id factum putandum est. Sic *Cælius Rhodiginus* quosdam per integrum *biennium*, alios per plures annos abstemios & sine omni alimento vixisse testatur *lib. 13. Lect. Antiqu. cap. 24. pag. m. 698.* ubi & plura exempla collecta vide. Per *triennium* Puellam quandam ab anno 14. ad 17. *ἄσπιτον*, sine functionum animalium læsione Confolenti, Urbe in Pictonum confinio, Anno 1599. vixisse, testis est *Franciscus Citesius* Medicus Pictaviensis libro, quem de hac ipsâ materiâ adversus Harvæum, Medicum Parisiensem scripsit. Et Anno 1552. Puellam, quæ per *Triennium* Spiræ jejunaverat à Ferdinando Romanorum Rege conspectam fuisse, refert *Job. Langius lib. 2. Epist. 27.* Quod ipsum quoque de aliâ, quæ Coloniae vixit, & insuper tanquam sana lusit & saltavit; nec non de Evâ Flegen Morsiensis, quæ ad 16. annos in ediam perpetuam toleravit, narrat *Gvilhelmus Fabricius Hildanus Centur. V. observ. 33. pag. 413. Confer. Ejusdem Cent. 2. observ. 40. & 42. Cent. 4. observ. 31. Cent. V. à pag. 413. ad 422.* Narrat quoque Sigismundus, Baro in Herberstein in suo *Rer. Moscovit. Commentar. p. 86.* de Leucomoriis, Populo Septentrionali, ultra Obium flumen, qui glirium & serpentum instar per totam hyemem mortui jaceant, & 6. Calend. Maji denuò reviviscant. Similiter de Nicolao Helvetico, *Saxo à Boccatio & Jacobus Zvingerus*, aliique memorant, eum per 15. annos in eremo jejunasse. Plura passim apud Historicos prostant exempla. Quibus *Confer. Henricus Mundt / in novo Physicae hodiernæ Lamine, titulo de Cibis.* Et quamvis à plurimis plurimæ rationes coacerventur, quibus probent, possibile esse, ut homines naturaliter talem asitiam tolerant. Quo præsertim faciunt somnus, excretiones & evacuationes abolitæ, abundantia phlegmatis crassi & indigesti, quod ex Avicennâ præ cæteris producit *Cælius Rhodig. Lect. Antiqu. cap. 24. pag. m. 698.* Aliaque innumera, quorum catalogum recensere, cum ad institutum

no



nostrum non expressè faciant, jam non vacat. Sed meritò hæc & similes tùm historiæ, cùm rationes in dubium vocantur, & tanquam fictæ & ementitæ rejiciuntur à Doctissimo *Velschbio in Miscellan. Curios. Ann. III. sive LXXII. observ. 35.* Nec quicquam nos morantur illa, quæ de avibus Paradisi, ex Insulis Moluccis ad nos delatis, Incolarum vafrities, teste Bontio *Lib. 5. c. 12. Histor. Natur. Ind.* fingit, eas sine omni cibo vivere. *Confer. Schott. in Phys. Curios. l. 9. Mirab. c. 52.* sicut de Chamaeleonte aëre solo nutrito scribit *Plin. lib. 8. Hist. Nat. c. 33. Confer. Stalig. Exerc. 196. Sect. 4.* Sed indubitato concludimus: Nullum hominem sine cibo vivere posse, & juxta communem Medicorum sententiam, famem, h. e. totalem victus abstinentiam vix ultra octiduum tolerari, sine vitæ dispendio, docente *Linden. Exercit. 13. §. 238.* Quamvis ultra diem undecimum quosdam inedia pertulisse scribat *Plinius & Tulpius lib. 1. Observ. med. c. 43.*

§. IX. Interim, Famem subinde proficuum esse, præter commune effatum: *Abstinentiâ & quiete multi morbi curantur;* ipsa docet experientia. Dùm quotidie tot febres, plurimosque morbos, ex depravato ventriculo originem trahentes fame curari observamus. Non tamen naturæ modum excedere oportet, juxta *Hippoer. Sect. 2. Aph. 4. Neque satietas. neque fames, neque aliud quicquam bonum est, quod nature modum excedat.* Et talis nimia fames, de quâ nos sumus solliciti, semper coacta est, & præter nostram voluntatem toleratur. *In obsidionibus, bello, annonæ caritate, Erroribus & Peregrinationibus terrâ marique factis.* Sic horrenda auditu sunt, quæ de obsidione Urbis Samariæ *Lib. 4. Reg. cap. 6.* leguntur. Stupenda verò, quæ Josephus de obsidione & excidio urbis Solymæ narrat. *Libr. VI. de bello Judaico cap. XIV.* initiò his verbis: Judæis autem cum exeundi facultate, omnis etiam spes salutis adempta est: auctaque jam fames totas domas ac familias

depascebatur. Et tecta quidem plena erant mulieribus exanimatis atque infantibus: viæ autem angustæ senibus mortuis. Adolescentes autem ac juvenes turgidi, velut umbræ mortuorum per fora versabantur; & ubi quem casus occupaverat decidebant. *Et ibid. cap. sequenti XV.* Profugorum autem alii statim de muro necessitate prosiliebant, alii velut ad pugnam cum lapidibus progredi simulantes, mox ad Romanos profugiebant. Hos autem sævior eâ, quàm intus pertulerant, fortuna consequebatur, & fame, quam domi reliquerant, velociorem apud Romanos inveniebant ad exitium satietatem. Aderant namque inflati ex inediâ, & veluti morbo intercutis aquæ turgidi. Deinde vacuata replentes corpora disrumpebantur: nisi qui periti desideria cohibuissent, paulatimque cibum desveto corpori obtulissent. *Et porrò cap. XVI. ibid.* Mortuorum egenorum sexcenta millia portis ejectasse, *refert.* Aliorum verò numerum minimè potuisse comprehendere. Cùm verò pauperibus efferendis non sufficerent, congesta in maximis ædibus cadavera esse inclusa: Post autem ubi muro circumdatâ civitate, ne herbas quidem legere jam liceret, ad hoc necessitatis quosdam fuisse compulsos, ut cloacas rimarentur, boumque veterem fimum alimentum haberent, stercusque collectum, quod ne visui quidem tolerabile fuerat, cibus esset. Eodem malo & nostram Patriam quondam tentatam fuisse scribit Petrus de Dusburg, Ordinis Teutonici sacerdos Parte III. Chronic. Prussiæ cap. LXXXIX. ubi de desolatione castri Heilsbergensis agit. Non longè postea Prutheni cum tribus exercitibus & tribus machinis & instrumentis aliis bellicis, Castrum Heilsberg Episcopi Warmiæ obsederunt. In quo obsessi fame cogente. CCLequos & eorum cutes comederunt. Et cap. seqv. XC. hæc habet: Filii ergo Belial videntes, quod omnia succederent eis ad votum --- convenerunt, & Castra Kunnigsberg, Cruceburg & Bartenstein obsederunt: In circuitu
cujus-

cujuslibet tria propugnacula firma & vallata plurimis armigeris viris bellicosus, & in armis strenuis construxerunt. Itaque non patebat aliqua via intrandi aut exeundi obsessis. Quot autem impugnationes, quot pericula, quot inedia, quot defectus intolerabiles obsessi fratres & alii in dictis castris sustinuerint, nullus ad plenum sufficeret enarrare. Compulsi enim fuerunt postquam oves & boves, porcos & vaccas & equos plures non haberent, comedere pelles eorum summâ necessitate ipsos ad talia perurgente. *Tanta* fuit in hoc cibo inconsueti pellium duritia, ut multi fratres comedentes eas, dentibus sint privati. H. I. Plura de fame in obsessionibus perpessâ exempla leg. in *Beyerlinkii Magn. Vita human. Theatro sub Titulo Fames. Fames Saguntina* verò adeò clara est, ut in proverbium, planè cesserit. *Vid. Erasmi Adagiorum Cbiliades pag. m. 564. Cum quibus confer. Livius de Casilinis ab Annibale obsessis lib. 23. c. 19. & 3. Valer. Max. lib. 7. cap. 6. Plutarchus in Apophtegm. Reg. & Imperat. Part. 1. mor. p. 337. De fame Rupellensi hujus seculi, legatur Petiot, in famosâ Panegyri, quam de oppugnatione hujus civitatis in honorem Regis Gallia declamavit. De fame tempore Belli videat. Martin. Zeilerus Cent. 6. Epist. 518. pag. 735. 736. Georg. Engelsûß im 1. Theil des Weimarischen Feldzuges pag. 53. De Sterilitate confer. M. Johan. Pomarii Sächsische Chronick pag. 367. Item Paralip. Abbatis Ursperg. & Annal. Silesorum Curæ, à Martin. Bohemo von den 3. Landplagen Conc. 11. fol. 84. citati, Livius. lib. 4. c. 12. De fame Itinerum & errorum exempla prostant ap. Johan. Leon. Lib. 1. cap. 27. Senec. lib. 3. de Irâ c. 20. Plura curiosus in Historiis & Locis communibus reperiet.*

§. X. Omnium tamen atrocissimam famem dixerim, quæ navigantes, in vasto Oceano, inter sævissimas tempestates exercet. Hic enim, cum neque fructus, neque herbæ suppetant, sicut in terrâ; pisces quoque capi non possunt, obortis
tem-

tempestatibus, uti Itineraria scribunt; & mediis in aquis
Tantaleâ siti conficiuntur. Juvat itaque pauca ex *Johannis
Lerii Historiâ navigationis in Brasiliam Anno 1556, 12. Calend.
Decembr. susceptâ, & Anno 1592. unâ cum aliis Itinerariis Fran-
cofurti impressâ*, ubi famem ultra mensem, in reditu in Galliam
toleratam, ipse oculatus & præsens testis lugente crenâ de-
scribit: eò, quod rarus sit liber, multaue notatu digna, &
ad rem nostram apprimè facientia ibidem contineantur, appo-
nere. Sic autem Ille *cap. XXI.* Ille igitur error (*scilicet ob
tempestates & ignorantiam Gubernatoris à cursu præfixo ad
decies centena passuum millia aberraverant*) eò inopiæ nos re-
degit, ut sub Aprilis mensis finem Anni 1558. commeatu penitùs
careremus. Postremum igitur solatium fuit, ut cellulam
gypsatam, in quâ commeatus recondi solent, everreremus, in
quâ vermes & murium excrementa majori copiâ, quàm mi-
cas reperimus. Quisquiliis tamen illis diligenter collectis, ac
sigillatim distributis, pulmentum conficiebamus, quod &
nigredine & amaritudine fuliginem superabat. Per illud
tempus, quicumque Cercopithecus & Psittacos reservarant,
iis vesci non dubitarunt. In summâ, jam ipso Maji mensis
initio ex nautis nostris duo fame necati sunt, atque pro navi-
gantium more, in ipso profundo sepulti. Præterea totos
viginti dies procellis ac tempestatibus admodum vexati fui-
mus, quæ res effecit, ut per totum illud tempus, quantumvis
urgente fame, piscis à nobis nullus fuerit captus. Nonnullis
in mentem venit, ut frustula parmarum ex tergo Tapiroussou,
in aquâ decoquerent, ederentque: at illa inventio non ita
successit. Alii igitur eadem frustula excipientes, prunis im-
posita torrent, quod adustum erat, cultro eradunt, quod
optimè successit. Corium enim illud nobis fame jam con-
fectis suillam cutem prunis assatam sapore referebat. Imò in
tanto apud eos illa erant pretio, atq; loculi auro oppleti apud
ava-

avaros & foeneratores nostrates esse solent. At non defuerunt inter nos, qui & coriaceos thoraces, ipsaque adeò calceamenta ederent. Imò pueri, qui nobis famulabantur, fame adeò pressi fuère, ut à laternarum cornibus non abstinuerint, quarum in navigiis maxima suppetit copia, imò sebaceis ipsis candelis, si quas offenderent, non pepercerunt. At nos summè debilitatos jugiter in exhauriendâ nave fatiscente laborare necesse erat, alioquin mox submersi fuisset, in ediamque nostram largo potu compensassemus. Tormentarius noster ad 4. Calend. Majas, cum ante tantâ fuisset fame oppressus, ut psittaci viscera, me præsentem, cruda paulò ante deglutisset, diem suum obiit. Cæterum, consumptis parmis, coriis ipsisq; adeò arcarum tegumentis, penuria artium inventrix quosdam è nobis, mures ut venarentur, compulit. Ac sanè murem tum pluris, quàm bovem in continente æstimabamus. Vidi enim, qui coronata tria, nonnunquam quatuor in singulos mures numerarent. Nec dubium est, quin, si nobis virides herbæ aut fœnum adfuisset, brutorum more ea mandissemus. Atqui non solum cum malo hoc conflictabamur, totis enim viginti diebus, quibus fame illâ infestati fuimus, neque vinum neque aqua dulcis in navi nostrâ visa est. Restabat tamen exiguus siceræ cadus, quem præfecti nostri adeò parcè distribuebant, ut si vel Monarcha quis tum nobiscum fuisset, cæteris largiorem potum non obtinisset; singulis autem cyathus quotidie assignabatur. Itaque quotiescunque decidebat pluvia, linteis expansis, ferreoque globulo in medio sito, ut commodiùs in vasa subjecta destillaret, aquam excipiebamus. Imò eam, quæ per foros effluebat diligenter colligebamus, nec obstabant sordes, quæ eam longè turbidiorem eâ, quæ per vicus in urbibus præterfluit, reddunt, quò minus à nobis ebiberetur. Quin eò redacti fuimus, ut nil nobis restaret, præter Brasilium lignum, præ omnibus aliis lignorum generibus siccum atque

C

hu

humore expers, nihilominus tamen non defuerunt inter nos, qui fame ad extremum adacti, cibi aliüs inopiã, lignum illud dentibus atterere conarentur. In quibus erat Philippus Dux noster, qui cum frustulum ori admovisset, altum trahens spiritum, me his compellavit verbis: Heu! mi Leri, pecuniam in Galliã ad quater mille libellas olim credidi, cujus apocham utinam conscribere tenerer, & mihi pro eã panis unus cum cyatho vini præberetur. Sed, contigit rebus nostris in pejus ruentibus, ut nautæ alii duo 17. Calend. Majas fame necati fuerint. Quo tempore ex nostris nonnulli fuere, qui tam diuturnum errorem nostrum in aquis secum reputantes, nullã objectã terrã, animo suo fingeant, nos in novo versari diluvio. Sed Deus opem nobis tulit opportunissimam, effecitque immensã suã bonitate, ut 8. Calend. Junii, cum jam ad foros fermè langvore confecti jaceremus, Britanniam Inferiorem conspexerimus. Huc referre libet, quod Nauclerus noster editã voce affirmavit statim, ubi gratiarum actiones ob imminentem liberationem nostram egisset: se omninò decrevisse, si diem unum adhuc in illo tam misero statu permansissemus, non quidem sorte agere (ut à nonnullis in tales redactis angustias est aliquando factum), sed aliquem ex nobis clam interficere, qui cæteris elui esset. Quæ res minimè me commovit, conscius enim mihi eram (quamvis omnes macie essemus confecti) me ab omni periculo tutum satis fuisse, nisi fortè cutem & ossa nuda pro carnibus habere voluisset. *Hæc Leri.*

§. XI. Inter *Symptomata*, durante fame & inediã famelicos affligentia sunt: *Prostratio virium & sensuum hebetudo, morositas, iracundia, ferocitas*; Juxta illud *Plauti in Amphitr.* *Vetust' adagium, fames & morabilem in nasum concidunt.* Postquam verò cibos jam indepti, *varia appetitus depravationes, vomitus, diarrhæe, Lienteria, Lipothymia, Leucopblegmata, hydropes, auditus & visus hebetudines, debilitatesque Ventriculi*
in se.

*insequuntur. Quæ omnia ita se habere, ipse similia expertus testis est Lerijs loc. supra cit. quem loquentem passim rursus introducamus. Sic autem ille: Antequam sermone huic finem imponam, id obiter observare libet, quod in alijs quidem maxime in me ipso animadverti, qui binas fames expertus sum, easque ejusmodi, ut nullum unquam horridiores evasisse credam. Corporibus inedia debilitatis, non modo feroces, sed & morosi & iracundi fiunt homines. Illa porro iracundia merito rabiei genus dici potest. Nam præter ea, quæ in historiâ de fame & obsidione Sancerranâ commemoravimus exempla, de parentibus, qui ex liberis suis unum comederunt, deque militibus quibusdam, qui, postquam cadavera eorum, qui bello cæsi fuerant, degustassent, se decrevisse, si malum diutius perstitisset, vivis manus inferre; affirmare possum, nos durante illa nauticâ fame, vix ac ne vix quidem pacatè alij cum alijs colloqui potuisse, licet Dei timore cohiberemur, imò quin (quod Dominus condonet nobis) malignis oculis alij cum alijs fuerimus. Conferri potest hanc in rem illa decem Britannorum ferocitas, qui, postquam in Oceano undecim dies sine omni victu consumpsissent, jactâ aleâ unum devorarunt. Quam Tragœdiam fusiùs describit Tulpius in Lib. 1. Observ. Medic. cap. 43. Sic matres devorasse suos foetus, uxores maritos, liberos parentes, imò ipsos se ipsos, juxta illud Satyrici; *Membra aliena fame lacerabant, esse parati & sua*, legimus. Huc faciunt omnes Historiæ præcedentibus sis recensitæ. Quibus addi possunt & ea, quæ reperiuntur Deuter. 28. Confer. Cœl. Rhodig. loc. cit. pag. 698. Qui ex Hegesippo, de Mariâ, Matre Judaicâ detestandam refert historiam. Pergit verò idem Lerijs inquit: *Adhæc, ubi Cœlum terrestre persensimus, tantum ciborum nos cepit fastidium, ut (nam de me nominatim verius referre possum) in diversorium tandem delatus, oblatum mihi vinum ubi olfeci, deliquium animi passus sim, inq; arcam, quæ in propinquo erat, delapsus. Quoniam**

Verò quodammodo restituenda erant nostra corpora, non minus portentosis flagrabamus appetitibus, atque ii sunt, quos de pregnantibus mulieribus referunt: Quin etiam plerique à vino ita abhorrebant, ut ab eo per mensem integrum abstinuerint. Tandem ubi ad Nannetum urbem pervenimus, quasi inversi essent sensus nostri universi, aures oculique nostri adeò hebetes repente facti sunt, ut formido incesset, ne in surdos atq; cecos evaderemus — Quantumvis tamen diligenter nobis caveremus, nemo nostrum effugere potuit, quin tumore per totum corpus infestaretur, me cum tribus aliis exceptis, qui ab umbilico ad pedes usque eo morbo laboravimus. Insuper cum diarrhæâ & stomachi solutione conflictabamur, adeò ut intra corpus nihil consisteret eorum, qua immittebantur — Hoc quidem verum est, me ab eo tempore stomachi debilitate semper laborasse: qua etiam fame, illà Sancerranâ, cujus paulò ante meminî, adeò est confirmata, ut minime dubitem, eâ me nunquam liberatum iri, donec me totum Deus felicissimâ resurrectione restauret. Quæ omnia ita se habere, à pluribus quoque militum Præfectis edoctus sum, qui in Ukrainiâ, Regione defolatâ, contra Tartaros, per aliquot annos arma gerentes, fame & inediâ tantum non fuerunt necati.

§. XII. Nec rationi dissentaneum esse videtur. Nam quisque in se post jejunia & ciborum abstinentiam, virium prostrationem, sensuum obtusitatem, & subinde animi deliquia experitur. Idque propter defectum & imbecillitatem Spirituum tum vitalium tum animalium. Enimvero, cum certum sit, *Vitam successivam mortem esse*, dum partes corporis nostri in singula momenta atteruntur & consumuntur; singulis quoque momentis nutrimento, quod damnum hoc refarciat, opus habebit. Quo denegato, ut in fame & inediâ fit, consumitur primò illud, quod adhucdum sanguini commixtum erat, serum nutritium. Deinde gluten illud, quod
par-

partibus jam adhærebat. Tandem reliqui humores omnes cum spiritibus animalibus. Hinc fibræ musculorum concidunt, spiritus penuriâ nutrimenti tûm in quantitate cûm qualitate & motu seu orgasmo debilitati ad inflandos & actuandos musculos inepti sunt. Unde *totius corporis debilitas & Lipothymia, sensuumque*, qui mediante Spirituum influxu peraguntur omnes, *bebetudo* proficiscuntur. Et cûm Visus, utpote cujus organum oculus maximam partem ex humoribus constat, maximo præ cæteris sensibus opus habeat nutrimento, *vid. Barbat. Tract. de sero & sanguine pag. m. 60. & seqq.*, deficiente sero, quo humores nutriuntur, exarescit unâ cum tunicis, humor crystallinus, corrugatur quasi & obscurior redditur: radiis visivis directus ingressus denegatur, & imagines in retinâ depictæ, ob spirituum animalium defectum, animæ representari non possunt. Unde fit, visum adeo obtusum fieri. *Confer. Locus S. Scriptura 1. Reg. 13. vers. 27. & 29. de Jonathâ, cujus oculi clariores redditi dicuntur, post esum mellis.* Quò major jam particularum glutinosarum, aculeos salium involventium & obtudentium, & lymphæ eadem salia dissolventis jactura fit, eò magis salia coagulantur, acriora fiunt, & nerveam ventriculi tunicam fortius pungunt. Unde tam *dirus* oritur *& caninus appetitus*. Qui rebus insuetis comminuendis hætenus assuetus, deinde quoque post novum ciborum apparatus & enectam famem perdurat, *Picam & Malaciam* inducens, & variè depravatus redditur. Similiter, cûm Ventriculus ob ciborum inopiam instar erumenæ sit corrugatus, ubi cibus numerosioribus ingestis extenditur, ejus extensionis impatiens. dùm se contrahere nixitur, *Vomitum* excitat & cibos rejicit. Quos, quamvis tandem per aliquot spatium retineat, ob sui imbecillitatem, & lymphæ digestricis inopiam & impotentiam, crudos ad intestina propellit. Ubi à bile, succo Pancreatico & lymphâ intestinali vitiosis magis

adhuc depravati & acriores redditi rejiciuntur, excitatâ *Lienteriâ* & *Diarrhœâ*. Cùm tamen pars quædam à vasis lacteis absorbeatur, & ad superficiem corporis mediante circulatione deferatur, ob cruditatem, & partium inutilium, in excretoriis secernendarum, magnitudinem respectu pororum ineptam, *obstructiones*, *tumores*, *cachexiam*, *Leucoplegmatiam*, *hydropes* excitat. *Confer. Cœl. Rhodig. Lect. antiqv. Lib. 13. cap. 24. pag. m. 896. 897. Josephus de Bell. Judaic. lib. VI. cap. XIV. XV.* Quorum morborum cùm alias quoque, si non ipsa causa, continuus certè comes esse soleat ventriculus debilis & malè concoquens; mirum non est, si talibus ægrotis diu satis, aliquando per totam vitam cum *Apepsiâ* conflictandum sit.

§. XIII. *Signa Diagnostica* quod attinet, morbus hicce quàm optimè patet ex confessione ægrotorum. Interim tamen adsunt signa, oculis verò quàm auribus manifestiora. Quæ apud Practicos hinc & inde reperiuntur. Sic *Francisc. de le bœ Sylvius Prax. Med. Lib. 1. cap. 37. §. 17.* tales extremè emaciatos à capite ad calcem sequentem in modum depingit: *In extremâ Tabè, præter faciem Hipocraticam dictam, in temporibus collapsis, oculorum sedibus concavis, naribus acutis, malis prominentibus & ore hiantè consistentem; costæ in thorace protuberant, cartilago ensiformis incurvata cernitur; scapula alarum & clavicula arcuum ad instar eminent: Dorsi spina se exerit, venter collapsus, contractusque apparet, clunes pendulae sunt, vel consumptæ; crura, brachia, pedes, manusque cum digitis arida spectantur, & circa articulos protuberantia attolli videntur; ungues curvantur; pili excidunt; cutisque flaccida, corrugata, fusca & arida existit; vena interim prominent, undiq; conspicua ac livida, corpusque universum tantùm non transparens ac pellucidum in quibusdam observatur.* Addere possumus & hæc: *Pulsus esse parvum, debilem, inæqualem; oculos obscuros, aures tinnire, caput & sensus obfuscatos, cum affectionibus*
nunc

nunc soporosis nunc Comatosis, manus tremere, genua labare, ossa crepare, gressumque tardum esse & nutantem. Quibus lucem magnam fœnerantur, quæ præcedentibus Paragraphis circa symptomata recensita sunt. Quibus Graphicam Famis hypotyposin Poëtæ ex lib. 8. *Metamorph.* à versu 804. ad 814. subjungimus:

*Quasitamq; famem lapidoso vidit in agro,
Ungvibus & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
Labra incana situ, scabri rubigine dentes.
Dura cutis, per quam spectari viscera possent:
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus; pendere putares
Pectus, & à spina tantummodo crate teneri:
Auxerat articulos macies; genuumq; tumebat
Orbis; & immodico prodibant tubere tali.*

§. XIV. Signis meritò differentiam subnectimus, quæ est inter eos, qui fame & inediâ emaciantur; & eos, qui aut ob senium, aut ob morbos, utpote diarrhæam, Lumbricos & Vermes, Phthisin, Hecticam, Tabem, Paralyfin &c. consumuntur. Ubi notandum differre eos inter se I. *ratione causarum*. Illi enim (α) ob solum ciborum defectum emaciantur; hi omnes, quamvis & multa & quàm maximè nutrientia comedant, nihilominus consumuntur. (β) Illis adest appetitus auctus, his nullus vel valdè prostratus. (γ) Illi ut plurimum sani, & quò saniores, eò citius & magis emaciantur, hi verò morbofi, quò sanioris temperamenti, eò minùs & tardiùs contabescunt. II. *Ratione symptomatum*. Longè enim aliis symptomatibus hi præ illis infestantur, quod cuilibet perquirenti manifestum evadet. III. *Fine & eventu*. Illi enim faciliùs curari possunt, quàm hi. Cæteras differentias, cum sequioris ordinis sint, meritò omittimus.

§. xv.

§. XV. *Prognosis* hæc esto. Famem & inedia, inter omnia, rem violentissimam esse, mortem, nisi in tempore nutrimentum accedat, per se inferendi. Variat tamen mortis aut salutis prædictio, *ratione graduum famis & causarum*. Sic, quò brevius tempus est inediæ perpessæ, eò melior salutis spes affulget. Qui parùm, indies tamen comederunt, certius restitui possunt, quàm qui per idem tempus planè nullum cibum degustarunt. Pueri & juvenes intra pubertatis annos constituti citius & tutius restituntur, quàm qui pubertatis annos jam exceßerunt, præsertim seniores. Quò magis assveta est natura jejuniis, eò minus periculi ex inediâ imminet. Quò plura & graviora adsunt symptomata, & quò debiliores fuerint ægrøtantes, eò difficilius sanantur. Qui usitata comederunt & famem Terrâ tolerarunt, restitui possunt præ iis, qui & insvetis, ut ligno, corio &c. vitam in vasto Oceano sustentarunt, cæteris tamen paribus.

§. XVI. *Methodum medendi* quod concernit, Duplex est, alia *Præservatoria*, quæ certis adhibitis cibis & medicamentis famem diutius sine noxâ tolerare facit. Qualia sunt ea, quæ ab Autoribus communiter *ἀλιμα* & *ἀδιψα* dicuntur. Inter quæ primo loco meritò numeratur *Herba Nicotiana*. Cujus fumigatione milites in castris, latrantem stomachum subinde compescunt & famem fallunt. *Monardes* narrat, Indos è calce concharum fluviatilium & tabaci foliis trochiscos efformare, quos iter per deserta, quibus cibaria non suppetunt, facturi, sub lingvâ servant, liquoremque, quem in os eliciunt, deglutientes, tridui aut quatruidui (si opus est) famem sine magno virium dispendio tolerant. *Videatur Mundus in novo Phys. hodiern. lumine p. 130. 131.* Nicotianam insequitur *Petum*, de quo *Lerius Histor. Navig. in Brasiliam p. 291.* sic scribit: *Inter ea quæ in Americâ nascuntur simplicia, unum est, quod Tououpinambaultii nostri Petum nominant. Eodem eum*
lappæ

lapacho majori nostro modo crescit, altitudine nonnihil superat,
foliis ab eo non absimilibus, quæ tamen propius ad consolidam
majorem accedunt. Hæc herba ob insignem, quæ est prædita,
vim, magno apud barbaros est in pretio. Hoc autem modo eâ
utuntur. Collectam manipulatim in casis appendunt & exsiccant.
Deinde 4. aut 5. folia, alio ampliori folio involuta accendunt,
orig. accensa admovent, fumumq; attrahunt, quo, licet naribus
labisque perforatis exeat, adeo sustentantur, ut, si ad bellum
profiscantur, aut alia urgeat necessitas, eo per triduum aut
quatrimum alantur. Idem hic autor deinde pergit, demon-
strando, quod Petum à Nicotianâ, contra quam communis
fert sententia, revera differat. Benzo quoque *Novi Orbis histor.*
lib. 3. cap. 20. ait: Indos peregrè profecturos, herbam quam
Coca ipsi appellant, ore clausam, veluti panchrestum quoddam
pharmacum circumferre. Quippe ejus præsidio freti, inte-
grum diem nullius nec cibi nec potûs egentes, iter faciunt.
Post Theophrastum scribere dicitur Matthiolus, Scythas *Gly-*
cyrrizâ contentos, absque alio alimentorum præsidio, decem
duodecimque dies degere. Sic *Part. II. der neulich erfundenen*
Landschafft America, qui Liber Ao. 1591. Francofurti impressus
prostat: sub figurâ XXIX. singularis potûs in Insulâ Floridâ
consueti, mentio injicitur, qui famem obtundat, his verbis:
Unterdesseu besteht der König ezlichen Weibern / daß sie Cali-
nam, das ist ein Getrânck von ezlichen Stauden: Blättern zu
bereiten / und denselben darnach seyhen. Diesen Tranck halten
sie so hoch / daß ihn keiner in dieser Versammlung trincken darff /
es sey denn / daß er sich zuvor im Krieg männlich gehalten habe.
Wenn sie aber diesen Tranck zu sich genommen / können sie wol
24. Stunden Hunger und Durst erleiden. Daher kömt es / daß
wenn sie in den Krieg ziehen: Die Hermaphroditen kein ander
Proviand, denn Kürbsflaschen oder hölzerne Geschirr vol dieses
D Trancks

Tranck mit sich tragen &c. Idem confirmatur eodem libro, auff dem Blat N. / ubi hæc verba reperiuntur: Als nun die Zeit des Anzugs bestimmet war / truncken sie mit grosser solennität und Herrligkeit den Tranck / (so Cassine heisset / und aus solchen Kräutern & Säfteu bereitet wird) welchen sie pflegen zu trincken / so offft sie an einen gefährlichen Ort sich begeben wolten / und eine solche Krafft hat / daß er ihnen 24. Stunden lang Hunger und Durst benimmt. Ex Avicennâ refert *Weckerus de Secretis l. 5. cap. 6. p. m. 177.* Quendam profecturum lib. 1. Olei Violacei cum adipe mixti bibisse, & inediam absque ullâ fame decem dierum sustinuisse. Quod & oleum amygdalarum & adipem vaccinum ex visciditate præstare, idem tradit Avicenna. Unde etiam sequentes globulos parandos docet: qui ʒ Amygd. dulc. excort. ℥j, adip. vacc. liquef. Olei Violar. a. ʒij Mucilag. rad. alth. ʒj. Terantur omnia simul in mortario & fiant pilulæ, sicut globuli nucis instar Italicæ, qui conservandi sunt, ne solis calore liquecant. Huc referri possunt variæ consuetudines & artificia, quibus famem fugare alii fategerunt. Sic A Gellius *Noct. Attic. lib. 16. c. 3.* ex Favorino, hæc scribit: *Scytas quoque, ait eundem Erasistratum dicere (Favorinus), quum sit usus, ut famem longius tolerent, fasciis ventrem strictissimè circumligare. Eâ ventris compressione esuritionem posse depelli creditum est.* Lydi verò, scribit *Herodot. lib. 1. Chio.*, ludicris exercitiis famem fugare tentabant. Quò facit ille Græcorum antiquorum ridiculus mos, qui famis tempore soliti fuerunt, scopis famem ex laribus everrere his verbis: *Ἔξω βέλμιον, ἔσω πλῆτον καὶ ὑγίαιαν. foras famem, divitias & sanitatem intrò.* *Erasm. Adagiorum Chiliad. pag. m. 564.* Ast difficilè esse putamus, ad carentem auribus ventrem verba facere. Statuimusque cum *Horatio: Latrantem Stomachum benè lenit cum sale Panis.* Quamvis verum sit, quò viscidiora & pingviora fuerint alimenta, eò magis famem obtundi.

§. XVII. Igitur, ut ad Curam ipsam fame jam con-
sectorum veniamus, dicimus: Quemque, Artis medicæ vel
imperitum, benè nutriendos esse tales ægrotos, & citò, cla-
maturum, *Aphor. 22. sect. 2. Hippocratis nixum: Quicumq; morbi
ex repletionem fiunt, eos evacuatio sanat. Et quicumque ex
evacuacione, repletio. Et Aphor. 7. ejusd. sect. Quæ multo tempore
attenuantur corpora, lentè reficere oportet. Quæ verò brevi,
brevi.* Ast, non huc digitum intendit Hippocrates. In illo
enim Aphorismo loquitur de Evacuacionibus v. g. Hæmor-
rhagiis, Gonorrhæâ, Diarrhæâ, sudoribus, Diabete &c. In
his repletio s. refectio subitanea quidem locum habet. Cum
quo conferatur Galenus, hunc ipsum §. *Commentar. in Apho-
rismos Hippocratis sic explicans: Qui longo tempore evacuati
sunt, iis carnes liquefcunt, graciles etiam redduntur alie partes,
talia corpora longiori tempore reficere oportet, atque tenuiter,
quod lentè nominavit. In quibus autem soli humores & Spiritus
sunt evacuati, in iis celeriter aut plenius contingit reficere.*
Alterius verò Aphorismi mentem clariùs explicat *ejusdem sect.
Aphor. 51.* Quando inquit: *Multum & repentè evacuare aut
replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut omninò quomodo-
cunque corpus movere, periculosum est. Et omnis multitudo
natura contraria est. Quod verò paulatim fit, tutum est, tum
aliàs, tum si ex altero ad alterum transitus fit.* Quod ipsum
plurimi, qui post famem liberalius & lautius vixerunt, morte
suâ confirmarunt, qui vitam procrastinassent, si tenuiorem
diætam instituissent. Quod adeò verum est, ut quotidianæ
novellæ de bellis ad nos delatæ, id ipsum maximâ cum strage
militum sapiùs testentur. Conferri possunt ea, quæ de
Alexandri Magni militibus, eos post sitim ingentem in deserto
Sufianorum perpessam, haustu aquæ immodico, plurimos
interiisse, narrat *2. Curt. lib. 7. cap. 5. Addatur Sabellicus lib. 10.*

dec. 3. T. 2. cap. 1464. B. Josephus de Bello Judaico loc. supra jam
§. IX. citato. nempe Lib. VI. c. XV. Quando inquit: Deinde
vacuata replentes corpora, disrumpebantur: nisi qui periti desi-
deria cohibuissent, paulatimque cibum desveto corpori obtulissent.
Idem expertus docet Lerijs supra citatus his verbis: Accidit,
ut, cum è nave egrederemur, Mercatorum plerique, ijs auditis,
qua perpeffi eramus, nos pra infirmitate minus ad gressus figen-
dos idoneos sustentarint, & opportunissime admonuerint, ut à
nimio esu diligenter nobis caveremus, paulatimque vires nostras
pauculo cibo repararemus. Ac sanè, cum ijs omnibus, qui tam
salubri paruerunt consilio, benè est actum. Nauta verò qui
repentè ventrem cibo replevere, non tulerunt impunè. Nam è
viginti, tot enim incolumes terram attigerant, plures decem sibi
mortem accersivisse autumo. Nos verò ad unum omnes incolu-
mes servati sumus. H. J. Quod ipsum disertis verbis docet
Arabs, Avicenna, de removendis nocumentis errore usus rerum
non-naturalium Tract. 4. de nocumento Paucitatis cibi p. m. 583.
lit. F. quando inquit: Quandoq; accidit multis hominibus, quod
famescant fame vehementi in tempore Sterilitatis, aut in itine-
rationibus aut in mari, aut propter causas alias. In succursu &
remedio illius, non oportet ut isti festinènt ad saturandum cum
cibus seipsos subitò; jam enim vidimus copiam hominum interimi,
& ex hac vità decessisse, propterea, quod hujusmodi homines,
quamprimum egressi sunt ex sterilitate magnà, qua accidit in
Civitate dictà Bocharà, in quà sterilitate homines illi assumebant
herbas in cibum, cum non esset possibile, ipsos habere panem &
carnes: statim verò invento pane & habità carne, abundanter
comederunt ex ijs quantitatem multam & mortui sunt. Pluribus
hominibus verò illius Civitatis ex consilio praeceptum est, ut post
illam famem subitò non saturarentur, sed gradatim cibum assu-
merent, & tales evaserunt. Quà in re consentire Galenum
ani-

animadvertimus. In reficiendis enim corporibus consumptis
exquisitum observandum esse victum, dicit: qui deinde semper
augendus, dum ad consuetum victum accedamus. Quando
lib. 7. de metab. med. pag. m. 90. 91. inquit, Potionis is modus erit,
ut nec in ventriculo innatet, nec fluctuationis ullius sensum in-
vebat. Ciborum verò potissimum si fieri potest, ut ne gravent
quidem ipsum — Quod si tale quippiam primo die inciderit, de-
trahendum postridie de cibo est: sin rectè omnia cedunt, paululum
adjiciendum. Ad eundem modum & in tertio die vel demere
vel adjicere conveniet — Caterum, cum meliores sunt effecti,
transferendi sensus sunt ad refectoriam, renutritoriamq, voca-
tam vitus rationem, analepticam græci vocant. Id fiet, si
pluribus & frictionibus & gestationibus, quàm ante utemur.
Mutanda verò interea est & ciborum tum qualitas, tum quan-
titas, sic, ut tum plures, tum valentiores quàm prius, exhibe-
antur. Ac tempore procedente, cum ad sanitatis statum propè
ventum jam est, seponenda sunt ptisana & Lac: Præterea scorbitio
ex alicâ: ac ad consuetos cibos veniendum. Post etiam pisces
destrahendi, nisi si in consuetudine fuerunt, ac volatilibus ciban-
dum &c. Quod pariter Avicenna loc. supr. cit. docet his
verbis: Sed illos, quibus accidit paucitas cibi prædicta, oportet,
ut primò festinent ad illud, quod de cibus est subtile, sicut sunt
ale avium, & aqua hordei & alia; deinde paulatim accipiant in
comestionem cibos consuetos.

§. XVIII. Ex quibus omnibus apparet, *Dietam nostrorum*
agrotorum non plenam & consuetam esse debere ab initio,
sed primò tenuem, tum in quantitate tum qualitate. Hinc
pleniorum, donec ad naturalem gradum ascendere sanitas
permittat. Abstinentum ergo ab initio à cibus solidioribus
omnibus, h. e. Piscibus, carnibus, pane &c. omnibusque iis,
quæ chylum crassum efficiunt, eò quod debilis ventriculus

impar sit iis concoquendis, & chylus crassus circulationibus per vasa capillaria ob famem collapsa & corrugata ineptus existat, unde facilè obstructions, & tandem mors insequi possit. Idem enim modus nutritionis observandus est in nostris ægrotis, quem natura, quæ nunquàm saltum facit, in infantibus observat. Qui recens nati non statim solidiores cibos ferre possunt; sed lacte, pultibus, ptisanâ enutriendi sunt. Eodem modo & in hoc statu conveniet, ut emaciati ab initio Lac, Ptisanas hordeaceas, avenaceas, panatellas, pul-tes, sorbitiones, juscula aliaque tenuiora, stomachum quidem non gravantia, ast subitò nutrientia in moderatâ quantitate hauriant, eaque potius calida quam frigida. Quòd ipsum & sibi à Medicis injunctum scribit Lerijs cit. loc. his: *Opportu- nissimè admonuerunt, ut à nimio esu diligenter nobis eaveremus, paulatimque vires nostras pauculo cibo repararemus, jure ex veterum gallinarum decoctione, lacte caprino, alijsq; ad viscera dilatanda accommodatis.*

§. XIX. Elapso aliquo tempore, ubi melius se jam habere videbuntur, victus paulò plenior concedi potest, qui & convalescentium à morbo esse solet. De quo Galenus lib. 7. M. M. cap. 6. p. m. 91. hæc scribit: *Est namq; convalescen- tium victus ratio media quedam inter eam, qua sanorum pro- pria est, & que agrotantium.* Quòd facient ova, juscula con- fortantia medicata ex caponibus: Gelatinæ ex Cornu Cervi, pedibus vitulinis, vervecinis; carnes agnorum, vitulorum juniorum, nefrendium, pullorum, cuniculorum tam assæ quàm elixæ. Aves montanæ & sylvestres. Pulles ex oryzâ, tritico, hordeo. &c. Quibus ex aromatis addi possunt N. M. Macer, Cinamomum, anisum, Galanga &c. non tamen in magnâ copiâ. Piper, Caryophilli, Zingiber exulent. Cibi nec nimis sint saliti, nec aceto macerati. Possunt quoque varia edu-

edulia ex oleribus; & bellaria parari ex amygdalis, Pineis, Pistaceis, cum aquis cordialibus, quibus addi possunt poma. Panis probè sit excoctus, tam fermentatus, quàm non. Huic Diætæ insistant, dum & corpus benè nutriri & vires recuperasse ipsos videbimus. Quo facto sensim ad victum plenum & aliàs assuetum transire poterunt. *Potus* sit Cerevisia clara & benè diluta, non tamen nimis vetusta. Capiatur non multus cum cibo, *post concoctionem* verò, & ubi chylus distribuendus, quod fit tribus aut quatuor horis ferè post prandium, *largior*, pro diluendo chylo. Quin & vini generosi dulcis haustus subinde proderit, cum juxta Hippocr. *Aphor. 21. sect. 2. Vini potus famem solvat.* Neque obstat, quod Lerijs supra narrat, se cum alijs vinum ne olfacere quidem potuisse: & cum aliquando cyathum ebibisset, subito animi deliquium passum. Addit enim deinde, minimo se propterea affectum fuisse incommodo. Quin ubi in lectum decubuit, tam suaviter dormivit, ut non nisi sequente die, & quidem multâ luce expectatus fuerit. Quod ipsum quotidie pariter notamus in praxi: debilitatos & senes potu vini generosioris, aut alijs confectio- nibus cordialibus citius & suavius obdormiscere, quàm si opiata ipsis exhibeantur. Ratio cuique manifesta est. Masti- cationem thuris pro roborando ventriculo talibus ægrotis commendat Avicenna *loc. supr. citato.* Confer. Autores Pra- ctici sub titulo: *Atrophia, Hæctica, Marasmus, Phthisis.* Quibus præsertim addi potest Avicenna *Lib. 4. Fen. VII. Tract. 4. cap. 2. de curâ extenuatorum.* Hanc victus rationem, quotquot præ- terlapso autumnò ob dysenteriam & diarrhæam epidemicè grassantem enervati & emaciati tam infantes, quàm adul- tiores, ex meo consilio, obedientes observarunt, certò affir- mare possum, omnes convaluisse. Qui verò, ab imperitis qui-

quibusdam medicalibus & mulierculis tractati, statim pleno victu sunt usi, plerumq; hydropici fuerunt mortui.

§. XX. *Aer* temperatus sit, ad frigidum tamen magis quam calidum deflectens. Purus præterea, minimè australis & humidus. *Somnus*, cum vires reficiat, svadetur: si tamen non adsit, opiata exulent, quorum loco cordialia substituantur. *Vigilia* proscribantur, extenuant enim corpus. *Quies* conducit emaciatis, juxta 16. *Aphor. Sect. 2. Hippocr. Ubi fames non oportet laborare.* Non tamen sit nimia, impedit enim concoctionem & crassum sanguinem reddit. Unde motus ante prandium & post concoctionem lenis, non violentus conducit. *Circa excreta & retenta* hoc observandum. Omnes nimias excretiones, quales quales sint, corpus extenuare, adeoque neque nutriendis proficuas esse. Interim tamen æquè ægrotis nostris obesse puto, si inutilia excrementa diu nimis retineantur. Unde Avicenna loc. supra §. XVII. citato svadet, ut stomachus, intromittendo pennam in gulam, subinde mundificetur, quæ commoveat stomachum, unde licet non semper vomitus sequatur, tamen ex tali vomitu, seu ad vomitum conatu vigoretur ventriculus. Inter *animi affectus* nihil est renutritioni tam officiens, quam Mœror, tristitia Melancholia, Curæ; adeò, ut Poëtæ dictorum affectuum naturam nobis ob oculos posituri, sub imagine emaciatorum eos sistant. Quos insequitur Ira, pariter renutritioni obicem ponens. Quare satius est, ut mens sit libera, hilaris, curarum soluta & speculationum profundarum. Quibus manum porrigunt Conversationes liberales, spectacula faceta, cantus & lusus instrumentales, aliaque omnia animum exhilarantia exercitia.

§. XXI. Præter præscriptam sic diætam pariter & medicamentis in specie opus habent Emaciati. Et quidem, I.
pro-

profunt ipsis *Stomachalia* pro roborando ventriculo & conco-
ctione adjuvandâ. Qualia sunt aromatica in specie sic dicta
ut Nux moschata, Cinamomum, Macis, Cardamomum,
Cubebæ &c. unâ cum radicibus aromaticis, ut: Calam. aromat.
Elen. Pimpinell. Galang. &c. Quò pertinent herbæ Menth.
Meliss. Absinth. Centaur &c. & Semina omnia Carminantia
dicta, inprimis Coriandr. multaque innumera, quorum plena
sunt tota volumina, præter composita jam, & in Officinis
Pharmacopœorum, sub Essentiarum, Elixirium, Pulverum,
Specierum, Tragæarum, Extractorum, Pilularum, Confe-
ctionum, Morsulorum, Spirituum, Tincturarum nomine
prostantia; Ex quibus pro cujusvis intentione & ingenio
varia medicamenta composita & Magistralia confici possunt.
Quò pertinent omnia unguenta, & emplastra *Stomachalia* pro
usu externo. II. Multùm proderunt ea medicamenta; quæ
vulgò sub *Cordialium seu Cardiacorum, Confortantium, Ana-
lepticorum seu resumptivorum* titulo veniunt. Quæ omnia cum
fusè satis ab autoribus quamplurimis tum veteribus Græcis &
Arabibus, cum recentioribus descripta sint, jure ne tangimus
quidem. Inter quos præter alios innumeros consulantur
Daniel Ludovicus in *Pharmaciam moderno seculo applicandâ*, &
qui in eum commentatium scripsit, Clarissimus Ettmüllerus.
Nec non illud Salanæ Academiæ Decus, Famigeratissimus
Wedelius in eleganti *de Medicamentorum facultatibus cogno-
scendis & applicandis* opere. Quæ omnia, cum notissima esse
debeant Medico, de chartâ, quod ajunt, in papyrum conjicere
noluimus, sed cujuslibet scientiæ & experientiæ committi-
mus. Ego inter cætera cordialia, hanc confectionem sum-
marum virium esse, semper expertus sum. & Rotul. Manus Xi
perlat. ℥j terant. in Mortar. Marm. Add. Olei nucist. gr. Vj
destill. Mac. gt vj Cinam. gt. iij, Caryoph. gt ij. Spir. Rosar.
E Me-

Meliss. Citrin. Frag. c. vino parat. a. $\mathfrak{z}\beta$ Essent. Ambrae c. Spir.
Lilior. Convall. parat. Tinct. Croci, Corall. anodyn. a. gt. x.
Eleosacch. Citri. $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$. Confect. Alkerm. Compl. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}\mathfrak{j}$. Syrup. berb.
 $\mathfrak{z}\beta$. M. F. l. a. Electuarium, de quo subinde nucis Mosch.
Magnitud. pro dosi. Quæ ipsa Confectio pro lubitu cum
aquis cordialibus quoque ad modum Mixturæ conjungi
potest & propinari. Summum Analepticum & Restaura-
tivum.

§. XXII. Super remedia interna à nobis recensita,
Galenus 4. adhuc externa commendat, sc. *Frictionem*, *Epi-
crusin* s. *percussionem*, *Picationem* & *balnea*. Quando *Lib. 14.*
de M. M. c. 16. inquit: At, ubi eos qui extenuati sunt reficere
in animo est, iis vinum exhibebimus crassum. Exercitatio-
nes paucas, frictiones mediocres — His verò (nempe exte-
nuatis) etiam *picari* commodum est, idque trium vel quatuor
dierum spatio. Quippe id ad carnem instaurandam egregium
medicamentum est, adeò, ut si quod singulare membrum hoc
vitio laboret, id hoc præsidio restituatur. Ac nobis quidem
in omnibus hoc ipsum satisfecerit; siquidem humectat & cale-
facit, sanguinis multitudine accitâ. Ergò nec assiduè id
ægotanti corpori exhibere conveniet, nec, cùm conveniet,
sæpe illinere, verùm in hyeme bis, in æstate semel id fecisse,
est satis. Quibus verò à natali die gracilia sunt membra quæ-
dam, iis etiam Mangones puerorum hoc ipso præsidio suc-
currunt, unà cum certâ percussione, quam græcè Epicrusin
vocant. Est porrò & illius mediocritas quædam, ut scilicet
nec plus justo nec minus fiat. Ea talis est. Ferulas parvas
ac leves modicè illitas gracilibus partibus incutiunt, donec
modicè attollantur. Quippe in hoc summa rei est: veluti
Hippocrates de perfusione aquæ calidæ dixit. Primùm qui-
dem pars intumescit, post gracilescit — Ergo quibuscunque
par-

particulis bonam habitudinem reddere studemus, has & fricare, & perfundere & picare oportebit tantisper, dum intumescant: hoc ubi factum est, protinus desistere, priusquam digeri ceperint. Etenim quæ calefaciunt, omnia, sicuti attrahere, ita etiam digerere sunt apta. Si ergo perstes, dum, quod attractum est, digestum sit, operam luseris. In hunc modum mango quidam proximè nates pueri fame consumptas brevi auxit, percussu mediocri quotidie usus, aut saltem alternis diebus, item moderatâ picatione. Cæterum quibus totum corpus est extenuatum, iis lavari quoque post cibum est idoneum. *Hæc Galenus. Conferri & legi meretur Avicenna Lib. 4. Fen. 7. Tract. 4. cap. 2. lit. B. & seqq.* Qui ex Galeno omnia repetens adhuc clariùs hanc in rem loquitur & quasi commentatur. Quomodo verò balneum comparatum esse debeat, & quid circa illud observandum, docet, præter alia loca, præcipuè *lib. X. de M. M. cap. 10.*

§. XXIII. Nos tamen, Frictiones & balnea si excipias, reliqua in emaciatis locum vix habere putamus. Ipse etiam Galenus eò inclinare videtur; dum, qui ante frictionem, percussionem & picationem, in genere emaciatis convenire dixerat, deinde tantummodo in singularibus corporis partibus & membris emaciatis, ut *in Aridurâ ex Paralyfi*, adhibenda esse docet: uti cuilibet textum inspicienti patebit. Et balnea quidem, (quamvis apud nos in tanto usu & pretio non sint, sicut apud antiquos, unâ cum inunctionibus post balnea institutis. Quâ de re consuli potest Jonstonus *in Ideâ Univers. Med. Pract. pag. 138.*) in infantibus atrophîâ laborantibus, præsertim ob Crinones seu Dracunculos, unâ cum inunctionibus multum profecisse, testis est experientia. An verò in genere omnibus emaciatis conveniant, universaliter affirmare non ausim. Hæc quidem ratione, dum Emaciatorum cutis corruga-

gata & quoad poros obstructa, per frictiones & balnea iterum perhumectatur & extenditur, pori, absterfis sordibus liberi & patentes redduntur, ut tum insensilis transpiratio eò melius celebrari, tum nutrimentum in interstitia fibrarum musculosarum laxatarum aptius inpingi & incuneari queant. At, cum multa ex balneis incommoda, ipso teste Galeno *loc. supr. cit. cap. 10. lib. X. M. M.* & Avicennâ *loc. preced. §. cit.*, emaciatis aliquando eveniant, dum totum corpus, & ventriculi præsertim tonus debilitatur; qui tamen ad renutritionem maximum symbolum conferre debet; non nisi circumspectè & cum iudicio balnea ingredi concederemus iis, qui fame & inediâ fuerint emaciati. Percussionem vero & Picationem instituire inconueniens videtur. Longè enim alia ratio est ariduræ & emaciationis, de quâ hic agimus. Ibi enim præter sensum, omnis ferè innatus, ut sic dicam, calor interiit. Unde rationi non contradicit, frictionibus percussionibus & dropacibus, compositis præsertim, quos, præter picem, rubificatoria & vesicatoria quandoque, ut: Sulphur vivum, nitrum, Ephorb. Canthar. Piper. Pirethr. &c. ingrediuntur; extinctum calorem & sensum accendere, & nutritionem parti inducere. In emaciatis verò sensus adest, calor etiam apud quosdam excedit. Quin totum corpus Dropacibus & emplastris includere ridiculum foret, si non æquè periculosum, ob toti corpori negatam transpirationem. Huc quoque pertinent *unguenta resumptiva* communiter dicta, quibus Hectici & Phthistici subinde inungi solent, ex mucilagibus Seminum & Gummatum, adipe, oleis coctis & expressis unâ cum medullis ossium, butyro & cerâ, uti ex *unguento Fernelii* patet, constantia. Ex quibus manifestum est, unguenta talia, si quid agant, propterea agere, quia tanquam corpora viscida cutem obstruunt & oppilant. Unde omnis ferè humiditas in corpore manere & si-

& fibris agglutinari cogatur, adeoque corpus pingvescat. Sed certò affirmare possum, cum in Hecticâ, sudoribus tantum non diffluente Matronâ idem aliquando tentarem, ob negatam transpirationem, pectus & pulmones ita infarctos fuisse, ut metus suffocationis impenderit, nisi destitiffem.

§. XXIV. Superest, ut quædam etiam de Curâ Symptomatum, cum quibus Emaciatis in renutritione conflictandum esse supra §. XI. diximus, subjungamus. Quæ quidem, quamvis vel spontè aliquando cessent, in debilibus tamen naturis medicam opem postulant. *Depravationes Appetitûs* corriguntur, propinando grata acida, mixta aromaticis & nervinis. Qualia sunt *Elixir. Oli Mynsichti, Elixir. Citri, Aurant. Menth. Proprietat. Paracelsi, Succus & Syrupus Cydon. Citr. Granat. Acetosell. berber. Species Rosat. Novell. Diamb. pro Morsul. Imperat., cum croco martis aperitivo, addito cremore Tartari & de Spir. Ois coagulato parum &c. Vomitus non statim sistendus, si tamen sit nimius, internè conveniunt Elix. Menth. Spir. Menth. Essent. Mac. Caryophyll. Tinct. Cinamom. Anodyn. Aqu. mastichin. Vinum Malvat, cum Succ. Cydonior, & omnia ea, quæ antea ad appetitum depravatum facere diximus. Externè Ungvent. vel Balsam. Stomachal. Mynsicht. Cratonis, aut aliud quodvis ex Oleo nucist. cum destillat. Stomach. Caryoph. Cinam. Mac. Menth. Meliss. Absinth &c. *Emplastrum* fiat ex Empl. Stomach-Mynsicht., de Tacamah., de crustâ Pan. Montagn. probè cum balsam. Peruviano malaxando. *Diarrhea.* Neque hic nimis adstringendum, sed leniter, talibus mucilaginosi, quæ simul nutrire valeant, ut Gelat. ex CC., pedibus vitulin. Pultibus ex oryzâ, lact. chalyb. Decoct. Priap. Cerv. Tauri, Cet. &c.*

E 3

Qui-

Quibus simul ea tùm interna, tùm externa, quæ contra vomitum facere dicta sunt, pro ratione jungi possunt. *Lypothimia* curabitur medicamentis cardiacis, præsertim electuario illo §. XXI. circa finem à nobis præscripto, cum vino generoso. *Leucophlegmatia*, *hydropes*, præter ea, quæ stomachum roborant, & hoc ipso paragrapho fusè satis descripta sunt, imprimis infuso vel decocto vini cum herbis sudoriferis, Aperitivis & Diureticis, additâ limaturâ martis, aut aliis ex Marte præparatis medicamentis. Lerus in suo jam sæpè citato libro dicit, sibi, in hoc casu, à Medicis propinatum fuisse Decoct. heder. terrestr. cum vitell. Ovor., quo restitutum se esse à tumore testatur. *Sensuum*, visûs præsertim *hebetudines* curantur talibus, quæ & spiritus augment roborantque, tùm etiam, quæ humores oculorum restituere & augere valent; hoc est laudabili chylo. Et quoniam ut plurimum omnibus, quamvis renutriti sint & restituti quàm optimè, debilis adsit, imò maneat ventriculus; continuò confortandus est usitatis stomachicis. Et à nimis ciborum & potuum ingurgitationibus, cibis crassis, fumo induratis, piscibus durioribus & nimis mollibus, aquosis &c. abstinendum. Atque hæc sunt, quæ circa curam eorum, qui inediâ & fame sunt confecti, dicere nobis proposueramus. Pauca sunt, & ab omni ingentis pompæ apparatu, vel in levissimis rebus usitato quibusdam, longè aliena: quibus Benevolum Lectorem Divinis commendatum Excubiis, sistimus.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Caro non differt à musculo; & , sicut in musculis nulla alia reperitur substantia carnosa, præter fibrosam, sic in toto corpore nulla caro, præter musculum.

II.

Chylus, secundum naturam, non distribuitur per venas mesaraicas.

III.

Neque cor, neque hepar, neque lien, neque pulmones, neq; aliud quicquam; sed omnia simul, cum sanguine sanguificant.

IV.

Morbos malæ conformationis, & ea, quæ ante aliquot annos nobis acciderunt, v. g. quod ceciderimus, cæsi simus, & in his vel illis partibus cicatrices vulnerum aut maculas geramus &c. ex lotio indicare, aut magicum est, aut dolosum, si non aliquando fortuitum.

V.

Priorem & celeriore curam symptomata, quàm ipse morbus, subinde postulant.

VI. Præ.

VI.

Præcipua medicamentorum vis dependet à
dosi.

VII.

Datur & non datur Mercurius corporum.

VIII.

Uti pleræque ex vulgaribus Coralliorum tin-
cturis; sic illa præsertim sophistica est, quæ sit cum
saccharo.


IX.

Anima, quæ dicitur sensitiva, est corpus.

X.

Ad Medicinæ perfectionem scientiæ Mathema-
ticæ imprimis faciunt.





Ue 2632

ULB Halle 3
005 743 974



Ue 12

Ue







I. N. J.
DISPUTATIO MEDICO-PRACTICA,
DE
ANATHREPSI,
Seu
RENUTRITIONE EORUM,
QUI OB DIUTURNAM FAMEM ET
INEDIAM, IN TERRÆ STERILITATIBUS, BELLIS,
OBSIDIONIBUS, PEREGRINATIONIBUS &c.
EMACIATI SUNT.
Quam,
DUCE ET AUSPICE DEO
TER. OPT. MAX.
CONSENSU
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI,
EX DECRETO
VENERANDÆ FACULTATIS MEDICÆ,
PRO GRADU LICENTIÆ
In Medicinâ ritè obtinendo,
In Academia Patriâ,
Publica Eruditorum ventilationi subicit
JOHANNES GOTTSCHED,
Med. Cand. & quorund. Pruss. District. Pract.
Ad d. IV. Februarii, XCIV.
IN AUDITORIO MAJORI,
Horis Ante- & Pomeridianis.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

